Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

operationem iudicamur. quando operibus foris ostendimus. quales intus apud
nos simus. Secundum retributionem iudicabimur. quando in percipienda mer-
cede operum cognoscemus quales ab eterno apud deum previsi sumus. Ex his
.iiii. iudiciis duo sunt occulta. iudicium secundum prescientiam. et
iudicium secundum causam. et ideo in eis iudicium humanum non recipitur.
Duo manifesta. id est iudicium secundum operationem. et iudicium secundum retribu-
tionem. in quorum altero. id est iudicio secundum operationem hominibus a deo in presen-
ti iudicandi potestas datur. alterum vero hoc est iudicium secundum retri-
butionem non ab hominibus. sed a deo coram hominibus iudicabitur. Sed iu-
dicium secundum prescientiam occultum est et inmutabile. iudicium secundum
causam occultum et mutabile. iudicium secundum operationem manu-
festum et mutabile. iudicium secundum retributionem manifestum et in-
mutabile. Iudicium secundum operationem imago quedam est. et sacramentum
est iudicii secundum retributionem. quia illud manifestat causam et pre-
scientiam innuit. hoc vero manifestabit causam et confirmabit
prescientiam. Item considerandum est quod iudicium aliter fit. ubi sententia dic-
tatur. aliter ubi profertur. In dictanda quidem sententia omnis iudicii.
iudicat simul pater. et filius. et spiritus sanctus. In proferenda iudicat solus filius.
quia qui in divinitate sua cum patre et spiritu sancto omnis iudicii sententiam
dictare habuit. in humanitate sua omnis iudicii senten-
tiam proferre solus accepit. Propterea humanitas que sententiam
dictare non habet. quantum ad dictandam sententiam dixit. Ego non iudi-
co quemquam. et tamen quia proferre habet. secundum hoc quod dictata est. subdidit.
sicut audio iudico. Quod enim intus audit ubi sententia dictatur. foris
iudicat ubi profertur. His itaque de discretione iudiciorum breviter pro-
positis. nunc ad ipsam narrationis nostre seriem redeamus.